DE ARTHRITIDE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
DIE IV. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXVIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROLUS MAYER
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

E. HEBERRER, MED. ET CHIR. DR.
A. BRUSCKY, MED. ET CHIR. DR.
G. LEUSCHNER, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

JACOBO MAYER,

MED. ET CHIRURG. DOCTORI, MED. PRACT.,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

FILIUS.

Arthritis, (Artestis, articulorum dolores, morbus articularis, morbus dominorum, a veteribus propter concrementa, nomine Tartari ab iis descripta, morbus tartareus nominata,) tantum abest, ut, quod innuere videtur etymologia, articulorum sit inflammatio, ut sit morbus, ex vitiis concoctionis et sanguine in visceribus abdominis accumulato vitioseque mixto originem ducens. Symptoma tantum ista articulorum inflammatio, quae in summo morbi stadio materiam ad articulos transferens, effervescit, in Arthritide exhibet. Haec morbi pathologica materia in sanguine venae portarum orta acidae naturae esse videtur. Continet autem hoc acidum ceu basin azoticum, constituitur enim nitrogenio. Primarium quidem acidum nobis cognitum non est, secundarium autem novimus; acidum phosphoricum nempe, uricum, et quod secundum Berzelium praevalet, acidum lacticum; quae acida non solum in venae portarum systemate, ut in ventriculo, ubi ructum et vomitum efficiunt, sed etiam in singulis secretis organorum secernentium invenimus. In urina, in cutis secretis, in membranis synovialibus arenae et glareae similia Arthritica concrementa deponuntur. In his acida illa cum kali, cum calcarea, cum magnesia, praecipue autem cum natro conjuncta sunt. —

De Arthritidis natura nihil certi constat. Tamen origo, progressus, symptomata, decursus et exitus morbi, deinde id, quod Arthritis morbis biliosis, praecipueque febri biliosae affinis est, et quod non raro male curata febris biliosa, aut biliosa intermittens in Arthritidem mutatur, tum natura et prior status viscerum apud homines ad Arthritidem praecipue opportunos causaeque occasionales, sequentia denique mala, haec omnia, inquam, Arthritidem maxime ex plethora abdominali, praecipue venae portarum, et quidem abundantia bilis nasci et concoctionis vitiis sanguineque depravato et circulatione perversa perversis quoque secretionibus et excretionibus, inprimis urinae profluere, nos docent. Qua de causa non solum parca urina secernitur, sed etiam salia ex acido phosphorico formata in eo omnino desiderantur et in corpore aut retinentur, aut ex parte tantum hac vel illa excretoria via foras exeunt, aut etiam vasis capillaribus aliorum organorum, praecipue ligamentorum capsularium et fasciarum perverse secernuntur deponunturque.

Hippocrates Arthritidem articulorum inflammationem, depositis in his et bili et pituita excitatam, esse censuit.

Boerhaave et Barry eam esse mutationem fluidi nervei, sanguificatione prava effectam, putabant. Sennert naturam Arthritidis in partibus salinis et terreis, nimia cibi vinique copia in corpore accumulatis et praecipue vita sedentaria haud bene digestis, in epiphysibus ossium attractione quadam accumulatis et instar irritamenti ibi commorantibus posuit. Desault et Warner Arthritidis causam in cutis functione laesa collocandam putabant, tamen hoc dicentes causam occasionalem cum natura morbi ipsius certo confuderunt. Grant et

Stoll materia acri et atrabilari morbum nostrum nasci perhibent, Puchelt adaucta venositate, Sydenham materiis acribus accumulatis et propter illam, quam aetas provectior, quam excessus, quam lucubrationes parant, debilitatem et virium vitae defectum non satis coctis et degeneratis, in ipsos articulos effusis multorumque dolorum causam exhibentibus, Acrel abundantia nutritiae materiae. Ideler (1) naturam Arthritidis in organorum abdominis atonia quadam, qua acidum phosphoricum praeter modum in organismo accumuletur et cum calcarea, quae pari modo ibi superet, praecipue per urinam excernatur, ponendam esse contendit. Herisant depositionem calcareae phosphoricae ita fieri existimat, ut antea illa, quam ossa continent, terra calcarea, acido superante solvatur. — Harlesio verosimilius videtur, depositionem calcareae phosphoricae et uricae, nec minus specificam illam membranarum fibrosarum affectionem, e materia subtiliori, cujus basis azotum, in illa, qua ureo simillima sit, conjunctione oxygenii in organismum et fortasse in ipsam nervorum massam ingesta, derivandam esse. Secundum Barthez Arthritis illa, quam forçe de situation fixe appellat, vi telae fibrosae, quae est in organis Arthritide affectis, juncta cum dispositione quadam organismi ad procreandum eum, quem in Arthritide invenimus, statum partium et solidarum et liquidarum, nec non cum atonia vel innata vel acquisita, oritur. Attamen quaenam sit haec dispositio organismi ejusque partium tam solidarum quam liquidarum, quae igitur sit natura ipsa Arthritidis, id nondum est diremtum et pari modo ex illa voce forçe de situation fixe nihil certi derivare

---

(1) Vide: Hufeland's Journal Bd. 13. St. 4, pag. 99.

nos posse fatemur. Neumann causam proximam Arthritidis illa, quam vita provectior atque defervescens prae se fert, propensitate ossificationum, in abundantia massae osseae', et nimio corporis otio aliisque causis parata, neque in periosteo, sed in aliis locis systematis fibrosi posita, niti opinatur. Stahlii theoria, quam de Arthritide in lucem edidit, haec est: carere, ait, partes quasdam tono suo et ad hunc restituendum vi medicatrice naturae inflammationem excitari. Cullen contra Arthritidem esse contendit neurosin, et eamque ita oriri dicit, ut perdito in quadam vitae periodo partium externarum tono in corpore plethorico, et pari modo ventriculo per consensum, quo cum illis conjunctus est, male affecto, cerebri functionibus nondum laesis, vi medicatrice naturae inflammatio in illis partibus ad restituendum reparandumque tonum excitetur.

ARTHRITIDIS DIVISIO.

Sicuti plurimorum morborum, ita etiam Arthritidis decursum acutum et chronicum distinguimus, quorum prior plerumque affectionibus, quae variis peturbationibus organorum digestionis oriri solent, se manifestat. Atque hae sunt affectiones istae, quibus apparentibus originem Arthritidis suspicamur. Fere nunquam haec forma acuta Arthritidis repente oritur, chronica contra plerumque sequela acutae est et haec quidem tum, cum acutae decursus perturbatur, crisibus vel nullis, vel imperfectis tantum intrantibus, prodire solet.

Tum distinguimus Arthritidem hereditariam et acquisitam. Posse quidem Arthritidem a parentibus hereditate quadam cum prole communicari, experientia satis demonstrat, neque opus est, ut exempla afferamus.

Docet insuper experientia, non unumquemque liberorum patre arthritico genitorum necessario Arthritide imbui.

Deinde distinguimus Arthritidem regularem, cujus de decursu infra dicendum erit, et irregularem, quae ab illa et tempore, quo intrat, et decursu et sedibus symptomatum valde discrepat.

Apertam porro Arthritidem eam dicimus, quae perspicue exculta est, larvatam contra eam, quae aliis variisque morborum formis absconditur. Reperiuntur autem ejusmodi morbi, quorum natura arthritica est, quamplurimi in abdominis, pectoris et capitis organis internis, postremo etiam in cute. Itaque plerumque Arthritis occultatur morbis hisce: Dysorexia et Dysphagia, Diarrhoea, Colica chronica, Hypochondria, Haemorrhoidibus, Melancholia, Scirrho uteri, ovariorum et testiculorum, Fluore albo; — Pleuritide et Pneumonia, Haemoptysi, Phthisi pituitosa, Asthmate, Hydrothorace, Tussi, Angina pectoris Heberdenii; — Cephalalgia, Prosopalgia, Vertigine, Epilepsia aliisque spasmorum formis; — morbis quoque oculorum, e. g. Cataracta, Glaucomate, Amaurosi (1); Herpete, Tinea multisque aliis Exanthematibus.

Deinde fixam quoque et vagam Arthritidis formam habemus. Vaga autem non in articulis, sed modo hic, modo illic in corporis peripheria varios procreat dolores, Cephalalgiam, ipsam Hemicraniam, Odontalgiam, alios.

Tum nota quoque est Arthritis febrilis, seu pyretica, quae dicitur A. validorum et afebrilis sive apyretica, quae dicitur A. debilium.

---

(1) Vid. Jüngken, „die Lehre von den Augenkrankheiten." pag. 251. Berlin 1832.

Deinde discernenda est Arthritis externa ab Arthritide interna, — et externae quidem formae hae sunt:

A. pedum sive Podagra
A. manuum sive Chiragra
A. genuum sive Gonagra
A. capitis sive Cephalagra
A. humeri sive Omagra
A. cubiti sive Pechyagra
A. coxae sive Lumbago seu Ischiagra
A. spinae dorsi sive Rhachiagra
A. maxillarum et dentium sive Odontagra.

Arthritis interna autem, quae etiam retrograda est nominata, alias aliorum organorum internorum formas exhibet. Atque ita oritur, ut Arthritis regularis propter corporis dispositionem, propter vires deficientes, propter aetatem vel juniorem, vel seniorem, non possit effervescere, aut ita, ut insultus regularis refrigerio, diaetae vitiis aliisque ejusmodi peccatis repellatur, unde sequelae valde periculosae conflari solent. Pertinent autem ad hasce formas omnes illae, quae jam supra, cum de Arthritide larvata sermo esset, allatae sunt.

In Arthritide atonica articulos nullo modo affectos reperimus, prodromi tantum Arthritidis regularis antecedunt et hosce interdum repentina sequitur Apoplexia.

Arthritis anomala et vaga non raro formam Rheumatismi adsciscit, atque hoc modo oritur Arthritis rheumatica. Adgreditur autem haec forma plerumque homines, qui sunt ad Arthritidem proclives et causis occasionalibus Rheumatismi sese exponunt; praedominatur in his modo Arthritis, modo Rheumatismus.

DIAGNOSIS.

Arthritidem plerumque in media vitae aetate oriri et rarissime tantum juvenes adgredi, experientia nos docet. Tamen fieri potest, ut irregulari vitae ratione injuriisque jam juvenilibus vitae annis Arthritis effervescat, et tum praesertim, ut fieri solet, cum ossium luxationibus aliisque majoribus articulorum laesionibus, quas inflammatio sequitur intensior, causa occasionalis externa eruptionem morbi adhuc latentis accelerat. Liceat mihi, afferre ea, quibus Arthritis facillime et optime ab Rheumatismo distinguatur.

Primo in censum venit hereditaria propagatio Arthritidis a patre ad prolem, quam Rheumatismo non tribuunt. Ad Arthritidem disponit vini copiosus usus, venus nimia, lucubratio, comessationes, studia assidua etc. — quae causae Rheumatismum nunquam provocant.

Arthritidem antecedunt edacitas vel anorexia, animae foetor, nausea, dyspepsia, flatus, alvi obstructio, ventriculi sensibilitas, sensus ponderis in artubus, etc. — dum Rheumatismus subito doloribus vehementissimis se manifestat.

Arthritis ut plurimum a febri orditur, quam excipit dolor, Rheumatismus contrarium exhibet.

Arthritis aetati virili maxime est infesta, Rheumatismus neque aetati, neque sexui parcit.

Arthritis, praeter majores articulationes, praecipue illas digitorum tam pedis, quam manus occupat, quod non animadvertitur in Rheumatismo.

Arthritis est periodica, Rheumatismus omni tempore hominem invadit, interdum semel tantum, nunquam in posterum reversurus. —

Signa characteristica Arthritidis a Scudamore

nobis afferuntur: seri exsudatio in telam cellulosam, turgescentia venarum vicinarum, dolores vehementissimi, qui sensum caloris et pulsationis secum ferunt, adaucta partium affectarum sensibilitas, quae tactu praesertim augetur, gravitas earum, torpor, motus impeditus. Praeterea tumorem et ruborem partium Arthritide affectarum semper demum insultum sequi, bene est notandum, cum in Rheumatismo haec signa statim ab initio observentur. Magnum praeterea urina praebet criterium, nam in Arthritide tempore paroxysmi valde parca secernitur et postea sedimentum largum, muccosum, albidum vel rubellum format; in Rheumatismo vero acuto urina turbida et rubra reperitur et sedimentum format lateritium.

Atque haec quidem sunt symptomata pathognomonica, quibus Arthritis a Rheumatismo dignosci plerumque potest, tamen non tam certa sunt dicenda, ut omnis primo saltem Arthritidis impetu error tollatur; semper igitur totius morbi decursus respiciatur, necesse est, in quo meliora signa, verbi causa typica illa, typum dico Arthritidis, ad meliorem nos perducent diagnosin. —

DECURSUS ET EXITUS MORBI.

Arthritis regularis primo insultu apud viros fere semper articulationem primae phalangis hallucis, ossisque metatarsi primi, apud feminas manum afficit, ibique limitatur. Antecedunt autem plerumque prodromi, modo locales, modo universales, quibus nomen inditum est Arthritidi imperfectae, sive stadio praeparanti; et locales quidem, qui jam magis perspicue affectionem vehementem localem praesagiunt, omnes istas partes petunt, quae morbo ipsi florenti sunt assignatae. Quibus in partibus, praecipue igitur in extremitatibus inferioribus, titillatio quaedam, sensus caloris adaucti, frigus saepius

vagum, quod aegro sensum parat, tamquam aura frigida in parte illa affecta sursum atque vicissim deorsum feratur, oritur. Saepius adhuc in parte affecta venae turgent, sensus imminuitur, gravitate premitur et spastico quodam modo male afficitur. Quae affectiones secundum Barthez saepius, praesertim autem, ut nonnulli dicunt medici, apud teneras mulierculas capillitii flavi, oriri solent, et partibus istis, in quibus apparent, nullo modo laesis, dolores musculorum, sugillationes valde diffusas excitant.

Prodromi universales hi sunt: Concoctio laesa; gravitas praecordiorum, tensio eorum; functio membranarum mucosarum abnormis; paraesthesis; nervorum functio turbata, praecipue gangliorum systematis; vertigo, praesertim cum aegri repente e lecto assurgunt. Huc accedit, quod somnolenti aegri somno non reficiuntur et dedolatio adest maxima. Repente haec phaenomena evanescunt; appetentia ciborum ardens, tamen haud naturalis oritur, tum bene se habere aeger videtur, tamen recte Sydenhamus hanc temporis intermissionem coelum esse dicit serenum tempestati praecedens.

Similis fortasse nervorum irritatio in ea, quam van Swieten affert, salacitate reperitur. —

Mox deinde aeger dolore vehementissimo plerumque post mediam noctem e somno excitatur, atque afficitur tunc eo, ut jam supra dixi, plerumque hallux, rarius talus vel calcaneus, vel sura, vel manus. Hic dolor similis illi, qui luxatione ossium excitatur, excipitur frigore, quod febris cum calore universo sequitur. Tunc tantum hujus febris remissio intrat, cum dolor vehementior evadit; sub vesperem vehementia ejus est maxima, interdum Sydenhamo auctore comparari potest cum canis rosione, interdum sensum excitat aquae

tepidae super cutem effusae, interdum compressionis aut contractionis in cute partis affectae. Haec pars tam vehementer dolet, ut aegrotus non minimum vestium pondus, ne commotionem quidem conclavis, quae passibus hominum incedentium efficitur, sustinere possit. Aegrotus valde inquietus, perpetuo in lecto jactatur, quo dolores imminuat. Totius corporis cutis calidissima et arida est. Haud raro vertigo et alienationes sensuum, tussis spastica, tremor artuum simul aegrum cruciant. Miser maximam tristitiam, angorem et timorem periculorum fictorum promit. Urina est parca, fusco colore, ut Berthollet contendit, nullum acidum continens. —

Paroxysmus plerumque post viginti quatuor horas finitur diuresi et diaphoresi auctis et aegrotus deinde in somnum incidere solet. Tum venae articulationum affectarum normalem recuperant magnitudinem et ipsae articulationes tumescunt et inflammantur. Attamen impetus non plane evanuerunt, sed proximis octo aut quatuordecim diebus vespere dolor et febris paulatim crescunt, interdiu vero imminuuntur intercedente sudore totius corporis, praesertim partis affectae copioso, spisso, tenace, qui argentum denigrat et qui exsiccatus calore interdum pulverem levem et splendidum relinquit, qui calcaream phosphoricam exhibere dicitur. Etiam lingua sensim pura et humida fit; nonnunquam invenitur exanthema Miliaribus simile, aut Haemorrhagia e vasis haemorrhoidalibus; urina sedimentum mucosum, rubrum vel album habet. Ex chemica sedimenti analysi, quod, si solutione kali hydrocyanici tractatur, colorem coeruleum gignit, elucere videtur, ferrum ei inesse, tum acidum phosphoricum et uricum deficiunt. Excretio alvi tum etiam regularis fit. —

Attamen inflammationes articulationum vehementio-

res, vel etiam frequentiores fiunt et simul cum febri, tum multo debiliore, die nono vel undecimo sensim imminuuntur, dum cutis partis affectae valde prurit et tandem saepe furfuracea sequitur desquamatio, quo facto Arthritidis paroxysmo finis imponitur.

Si febris vehemens et magis inflammatoria, rubor et tumor magnus paroxysmum comitabantur, si dolores fortissimi erant, tum paroxysmi plerumque prius evanescunt, ita ut saepe post quartum paroxysmum aegrotus valetudinem recipiat. Tum vero magna adest dormiendi cupiditas, imo levis status soporosus, qui haud dubie coaffectione cerebri ejusque membranarum efficitur, quare aegroti paene de nullis conqueruntur doloribus.

Si vero febris magis typhosa, vel nervosa erat, (quod plerumque in hominibus debilibus et sensilioribus invenitur, si causae debilitantes praesertim in grandaevos arthriticos vim exseruerant), tum paroxysmus diutius perdurat et facile in Arthritidem chronicam, fixam aut in alios transit morbos.

In paroxysmi decursu, praecipue si jam saepius aegrotum invaserat, non raro fit, ut Arthritis ipsa ex uno articulo ad alterum migret, et tum semper novus oritur paroxysmus, qui modo descriptum habet decursum, attamen minus vehemens primo est.

Si jam plures Arthritidis paroxysmi antecesserant, depositiones, quae sub finem uniuscujusque paroxysmi formantur, non resolvuntur, ut falso contenditur, sed indurescunt, et spissum, gelatinae simile fluidum continent, quod sensim sensimque durius factum, tophos arthriticos ita nominatos (vel nodos arthriticos, vel tubercula arthritica), adducit. Hi non materia, quam continent, sed mechanice tantum, sede et forma, ut cor-

pora aliena, irritantes, plerumque sunt causae doloris continui et irritatione Arthritidem chronicam fixam reddunt. Hi tophi arthritici magnitudinem ciceris, interdum etiam ovi assequuntur, sacco non sunt inclusi, sed cellis telae cellulosae et in ipsis cavis articulationum. Nonnunquam ad superficiem procedunt et rejiciuntur; haud raro vero depositio horum concrementorum ea est, ut tumor ingentem assequatur magnitudinem, in ambitu ejus taenia rubra et lata, quae in gangraenam transire videtur, apparet, dum dolores vehementissimi aegrotum cruciant. Tandem cutis rumpitur et fluidum serosum effunditur concrementis in profundo remanentibus; tum ulcus impurum et dolens, quod arthriticum vocatur, oritur, cum fundo lato phagedaenico, marginibus duris, callosis, singulae concrementorum partes post curationem diuturnam ejiciuntur.

Fit autem interdum, ut hic morbus, praesertim si viribus nondum debilitatis aegrotus diaeta plane alia, ac antea utitur, natura ipsa tollatur, praecipue si crises formantur aut Haemorrhoidibus aut muci cum urina magna quantitate, saepe cum parvis lapillis ejecta, aut variis exanthematibus cum sudore copioso conjunctis.

Arthritis chronica saepe apyretica saepe cum febri continua remittente, quam debilitas aut systematis nervosi aut vitia concoctionis comitantur, conjuncta est, quae saepe in febrem lentam et hecticam transit. Morbus per plures annos, saepe per totam vitam aegros vexat. Paroxysmi typum fixum non habent et minoris sunt vehementiae, quam in Arthritide acuta. Articulationes debiles, rigidae, immobiles fiunt, quod membranae synoviales minus secernunt synoviae, quare, si articulatio movetur, crepitatio auditur. Praeterea etiam in hac Arthritidis specie nunquam desunt Dyspepsia,

Haemorrhoides, vitia renum et vesicae urinariae, saepe cum sudoribus colliquativis, cum iracundia. Huc accedit, quod fere semper ossa articulationum affectarum vel etiam ossa longa et plana, soliditate amissa, porosa, inflata, nodosa fiunt, anchylosis oritur et cartilagines interarticulares in os mutantur, aut tabescunt et variae deformitates articulorum sequuntur hoc malum funestum. Sin forte acciderit, ut Arthritis, quum aut exacerbationem facere, aut, exacerbatione jam facta, crisi ad finem salubrem provehi studeat, subito supprimatur, mox, imo summa cum vehementia, symptomata oriuntur Arthritidis internae, qua haec praesertim organa afficiuntur: primo cerebrum, quam affectionem vocant Cephalagram, ubi saepius pericranium externum laborat. Barthez vero hac metastasi suturas praecipue affici tradit, ita ut aegrotantes, minime anatomiae partium laborantium periti, tamen, si dolorum directionem et, ut ita dicam, viam medico describunt, accuratissime suturarum cranii diversarum situm et decursum notent.

2. Oculi, in quibus inflammatio arthritica scleroticam, conjunctivam, iridem, corpus vitreum, capsulam lentis sibi eligit, imo ne ipsis quidem orbitae ossibus parcit. Hic dolores sunt vehementes, pungentes, conjunctiva, in qua abdominalia illa vasa sanguifera apparent, quae nobis symptoma praebent pathognomonicum, coloris est purpureo-rubri; circa corneae marginem annulus oritur coerulescens; photophobia maxima. Nec minus memoratu dignum est secretum illud specificum, quod constat ex materia quadam pituitosa, mucosa, quasi cretacea. Decursus est lentus et sensim sensimque tantam symptomata acmen assequuntur, ut teterrimus sequatur exitus.

3. Angina quoque arthritica observata est, quae

saepe tumore quidem caret, semper autem doloribus pungentibus, faucium siccitate et febri sub vesperam ingravescente comitatur.

4. Cor, pericardium et vasa majora, pleura, ventriculus, tractusque intestinalis, renes et alia organa. Omnes hi casus non raro, diligentissima quamquam curatione, celeriter mortem inducunt, aut alios periculosos morbos.

5. Si ossa occupantur, inflammatio lenta eorum, praecipue articulorum, emergit, cujus effectu caries et anchylosis oriri possunt. Talia ossa rubro integumento sunt induta majorisque ponderis. —

Minoris momenti casus sequuntur Arthritidis paroxysmum, qui non subito, sed sensim impeditus est, quo minus acmen attingere, aut crisi facta ad finem salubrem provehi possit, quamquam etiam hic partium internarum affectiones arthriticae, id est, Arthritidis larvatae symptomata oriuntur, quae jam supra commemorata sunt. —

AETIOLOGIA.

Causa proxima. Quod ad proximam, usque ad tempus nostrum non satis clare dilucidatam Arthritidis causam attinet, hoc prae ceteris maxime elucet, principem ejus focum in digestivi systematis statu morboso atque in plethora abdominali cerni, quibus de causis fluidorum elementa chemica mutari et quandam humorum acrimoniam oriri verisimile est. Qua ratione fortasse materiae quaedam — salia phosphorica — formantur, quae non, ut in corpore sano, per systema uropoeticum ejiciuntur, sed in corpore remanentes articulationibus advehuntur.

Causae praedisponentes. Sine ullo dubio

causa Arthritidis cardinalis est dispositio illa hereditaria arthritica, quae systematis nervosi hereditaria sensibilitate una cum congenito et sub vitae aetatem virilem adaucto systematis venae portarum praedominio sistitur. Quae praedispositio apud sexum potiorem, praesertim apud constitutiones plethoricas et corporis mole roboreque excellentes, major est, quam apud mulieres, atque constitutiones debiliores. Teste Hippocrate apud eunuchos rarissime Arthritis exoritur. Cujus dispositionis arthriticae symptomata, quae saepius per plures hebdomades, imo per mensium annorumque spatium ipsi Arthritidis paroxysmo antecedere possunt, haec sunt: dyspepsia et anorexia, digestio tarda, ventriculi semper pleni et quasi compressi sensus, ructus acidi, tormina ventris, lingua semper squalida, sapor alienatus, molimina haemorrhoidalia, modo tenesmus, obstructio, modo diarrhoea, somnus inquietus, taedium laborum consuetorum, apud mulieres menses irregulares, dolores circa regionem dorsalem et lumbalem, in rarioribus casibus etiam corporis quidem moles, non autem vires augeri dicuntur. Quae praedispositio, ut jam commemoravi, persaepe est hereditaria et innata et per complures progenies propagari potest. Tales homines, quibus dispositio haec jam a parentibus insita est, prius etiam Arthritidis exacerbationes patiuntur, praesertim, si aetate puerili Scrophulosi aut Rhachitide laboraverant, quarum utraque Arthritidis conformationem eximie fovere videtur. Nec minus habitus quidam arthriticus existit, qui capite amplo, rotundo, ossibus crassis, cute rigida et aspera, statu totius organismi atonico, spongioso, secundum Barthez physiognomia adeo propria et temperamento sanguineo-cholerico sese promit. Scudamore huc etiam numeravit thoracem magnum, venas latas ple-

nasque. Quibus omnibus adhuc addendum est, hanc constitutionem demum intra annum trigesimum sextum et sexagesimum clarius apparere.

Causae occasionales. Certe hominis dispositione arthritica praediti ratio vitae permultum valet, ad Arthritidem ipsam provocandam. Quod praecipue his efficitur causis: vivendi ratione libidinosa, cibo copioso, nutriente, excitante, praecipue nimio carnis usu, immoderata potione spirituosorum vinorumque acidorum, non perfecte fermentatorum; vita sedentaria, praecipue si vitam laboriosam sequitur, excessu cujusvis generis, nominatim in venere et onania, quamquam seminis evacuatio impedita et suppressa etiam Arthritidi ansam praebere dicitur, quod mihi fabulam sapere videtur. Tum Arthritidem provocare valent nimia mentis studia, praesertim si tempore nocturno aut brevi post coenam suscipiuntur; tum curae diversi generis aliique animi affectus deprimentes, suppressio aut diminutio magna secretionum variarum, e. g. bilis, urinae et cutis, qua de causa tempestas humida frigida, vita in regionibus humidis paludosisque peracta saepissime Arthritidem provocant. Multi iique praestantissimi medici propriam existere materiam contagiosam in sudoribus arthriticorum putant, quae etiam omninò negari non posse mihi videtur. Secundum quorum opinionem e. g. pedum integumenta eorum, qui Podagra laborant, Podagram veram procreare dicuntur, neque non raro maritus cum uxore sua sicut haec cum illo Arthritidem communicare feruntur. Sic Nep. Rust in Helcologia sua (Tom. I. pag. 2 2.) enarrat, aegrotum quendam Podagra affectum subito, quum hoc malum supprimeretur, in paroxysmos apoplecticos incidisse, quo facto, dextro ejus pede alius cujusdam hominis Podagra laborantis tibialibus, hujus

sudore madidis et quasi saturatis, sine mora involuto, illae affectiones apoplecticae finem ceperint, Podagra vero redierit.

Sine ullo dubio experientia etiam docet, hoc fieri posse, sed tantum in hominibus, qui dispositione arthritica exquisita praediti sint.

PROGNOSIS.

Vix alius invenitur morbus, qui tam strenue organismum occupet, quam Arthritis, quae, etiamsi regularem decursum faciens, raro lethalem adducit exitum, attamen doloribus vehementissimis comitantibus malum redditur valde molestum, cui rarissimis in casibus mederi possumus. Prognosis itaque eo pejor erit, quo magis vires aegrotos deficiunt, quo crebriores morbus paroxysmos fecit, aut quo magis jam chronicam indolem adeptus est. Pessima vero per dispositionem hereditariam fit. Si Arthritis ad partes internas metastasin facit, respicienda est dignitas organorum affectorum; nunquam vero hoc in casu bona erit prognosis, quia, etiamsi minoris momenti occupaverit organum, et symptomata hujus impetus minime gravia sint, tamen facillime hinc ad organa digniora defertur et hoc modo mortem inducit.

Res autem, quae praecipue prognosticum medici judicium regere debent, hae sunt:

1) Aegroti aetas. Apud juvenes curatio meliorem sortiri eventum fertur, quia vis medicatrix naturae plus valet. Si hereditaria indoles adest, Arthritidis eruptio impediri quidem, at, si jam morbus erupit, nunquam plane sanari potest. Pejor prognosis est in mulieribus, quae in stadio decrepiditatis versantur.

2) Corporis constitutio. Arthritici cum con-

stitutione laxa et spongiosa, systemate nervoso sensibili, spasmorum hystericorum dispositione praediti difficillime malo liberantur. Quibus efficitur, ut apud mulieres Arthritis gravioris sit momenti, quam apud viros. Medici conamina plus valent in individuis constitutione irritabili praeditis, quae systematis musculorum formatione praevalente, corpore crasso, robustoque, temperamento sanguineo, aut potius sanguineo-cholerico cognoscitur.

3) Arthritidis forma. Acuta et regularis Arthritidis indoles relative optimam praebet prognosin, quia hic crises facillime et perfecte absolvuntur et rarissime tantum vitia articulationum organica relinquuntur, quae in Arthritide chronica fere semper inveniuntur. Podagra etiam prognosin offert meliorem, quam alia Arthritidis genera, quia hic partes affectae ab organis internis longissime distant. Pluribus articulationibus affectis, malum eo majorem habet dignitatem, quo major articulationum affectarum numerus est. Prognosin malam praebet Arthritis anomala, quae saepissime impetum facit ad partes internas et hoc modo exitum adducit lethalem.

4) Tempus atque numerus paroxysmorum. Arthritis inveterata pessimum largitur augurium.

5) Paroxysmorum vehementia, qui quo fortiores sunt, eo citius praetereunt et intermissiones perfectiores relinquunt. —

6) Causae occasionales, quas si perfecte removere nequimus, curatio radicalis non contingit, prognosis itaque minime nominari potest fausta. Simili modo Arthritis funestum habet exitum, si hereditaria dispositio aderat et aegrotus causis occasionalibus jam diu obnoxius fuit.

7) Complicationes. Sicut in aliis morbis com-

plicatis, ita etiam in Arthritide aliis malis stipata prognosis infausta apparet.

MEDENDI RATIO.

Quum curationem radicalem Arthritidis plane obtinere non possimus, singulos morbi impetus avertere doloresque morbum exortum comitantes mitigare, medici est. Quare, ut primae indicationi satisfaciamus, quamque causam occasionalem diligentissime removeri et jam ab aetate puerili ad idoneam vitae rationem servandam haec praecepta constitui oportet. Sit victus aegroti semper modicus, capiat pro potu ordinario aquam, spirituosa vero prorsus vitet; non degat in aëre depravato; diligenter exerceat corporis vires, quacunque ratione fieri potest; balneis frigidis sub Jove utatur, ut tempestatem variam bene ferat, taliaque alia pro consuetudine habeat, quae fusius hic enumerare nolo. Etiam abdominalis plethora respicienda est, alvi enim regulares excretiones remediis, si opus sit, aptis et haemorrhoides, si ad has dispositio apparet, hirudinibus et pellentibus promoveantur. Nec minus intestinorum perversas excretiones resolventibus, amaris, tonicis corrigamus.

Sed omnino mutare debemus vitam, si stadium prodromorum morbi jam incepit. Tum quod ad diaetam ita agendum est, ut calidioribus vestimentis quamque injuriam ab aegroto arceamus, quare extremitates inferiores panno cerato aut laneo circumdari, aut cuniculi pelle involvi necesse est. Victus idem sit, quem supra accuratius exposui, maximi quoque est momenti, ut mentis hilaritas nullo modo turbetur. Persaepe haec praecepta jam sufficiunt ad morbi impetum arcendum, aut mirum in modum mitigandum; sed si res non ita se habet, primum digestionis apparatum accurate respi-

cere, ejusque vitia corrigere debemus; quare remediis utamur, quae vomitum excitant, e. g. Ipecacuanha, aut simili quodam; promoveamus quoque alvi secretionem remediis leniter laxantibus, Electuario lenitivo, cum sulphure etc.

In singulis morbi accessionibus praecipue febrem comitantem accuratius intueamur et secundum indolem curemus. Si febris natura est inflammatoria, rariores venaesectiones in pede instituantur, sed cautissima manu, nam nimis frequentes venaesectiones crisium decursum turbant, et, quod mirum in modum vires consumunt, morbi impetus denuo provocantes, Arthritidis vehementiam valde augent. — Permulti sunt medici, qui, veterum auctoritatis immemores, sanguinis detractiones in morbo nostro vehementer vituperent, et tamen concedant, hirudines ad locum affectum appositas dolorum vehementiam lenire. Sit vitae genus aegroti maxime temperatum, antiphlogisticum, cui addere possumus medicamenta conditioni apta, e. g. Potionem Riveri, Emulsionem amygdalinam cum Nitro, dimidiam partem grani aut granum unum Calomelanos pro dosi, bis per diem. Obstructionem alvi non remediis purgantibus internis, sed clysmatibus solvi oportet.

Gastricam febris indolem jam ab initio vomitoriis atque Infuso laxat. Vienensi, aut Tinctura illa debellemus, quam Graves (1) nobis praescripsit:

℞ Cortic. Aurantior. ℥ji
Pulv. Rhei ℥j
— Aloës compos. ℥ji
Spirit. vini gallic. ℔ji.

(1) Berliner medizinische Central-Zeitung. Jahrg. II. pag. 802.

Cochlear unum hujus tincturae cum duobus aut tribus cochlearibus aquae bis per diem sumatur.

Tantus est effectus hujus tincturae, ut auctor arthriticos semper hocce remedium secum portare jubeat.

Raro evenit in primis morbi paroxysmis, ut febris nervosam habeat indolem, tum Serpentariam, Valerianam, Arnicam cum Liquore C. C. succinato et Ammonium aceticum ad diaphoresin augendam optime praescribimus.

Contra statum pituitosum intercurrentem Ammonium muriaticum et Tartari stibiati refractas doses dari oportet.

Nunc transeamus ad medelam articuli affecti, quae maximi est momenti in morbo nostro, quod facillime fieri potest, ut Arthritis hic cedat, sed metastases faciat ad organa supremae dignitatis, et hoc modo exitum lethalem adducat. In universum crises intrantes exactissime considerare et permagnam naturae vim adjuvare debemus. Involvamus articulum eo modo, ut jam supra demonstrare studui, aut ad eum applicemus calorem aromaticum et camphoratum, sed semper cautissime his remediis utamur necesse est, quod persaepe augent aegroti dolores. Balnea vaporaria localia hic majorem exercent vim, quod dolores leniunt et diaphoresin localem augent. Remedia, hoc modo applicanda, diversissima sunt; nam fuerunt, qui lac laudaverint, dum Percy decocto seminum foeni optimo cum successu usus est, sed aqua simplex fere eandem habet vim. Si vires aegroti nimium consumuntur dolorum vehementia, Narcoticis utamur, sed cautissima manu, quod facillime metastases illas, quas jam supra commemoravi, provocant. Externe infrictiones administrare licet, e. g. Olei Hyo-

scyami, Unguenti Hyoscyami, Decoct. Cicutae. Scudamore mixturam sequentem valde laudat:

℞ Alkohol. vini ℥vjii
Mixtur. camphor. ℔ji

quam aquae fervidae addit et hoc modo balneum loco affecto saluberrimum componit. Laudant quoque nonnulli balnea animalia, quae in quibusdam casibus optimum habuerunt successum. Scudamore ad usum internum opium praescribit, et quidem granum unum ad tria, cum grano dimidio pulveris Antimonii; repetit hanc dosin, si dolorum exacerbatio vehementior fit et nullum aliud contraindicans exstat. Barthez magnas Opii doses vituperat, quare pulverem Doweri maxime laudat, quod diaphoresin auget et alvi secretionem leniter promovet. Optimum fortasse foret, Opio non uti, quod, quo vehementiores sunt dolores, eo brevior quoque est morbi paroxysmus.

Quod attinet ad usum frigoris, jam Hippocrates (1) bonum vidit eventum, si locum affectum aqua frigida circumdedit; recentiore vero tempore haec methodus semper fere pessimum intulit exitum (2), quare nostrates eam plane reliquerunt.

---

(1) Τὰ δὲ ἐν ἄρθροισιν οἰδήματα καὶ ἀλγήματα ἄτερ ἕλκεος, καὶ ποδαγρικὰ, καὶ σπάσματα, τουτέων τὰ πλεῖστα τὸ ψυχρὸν πολλὸν καταχεόμενον ῥηΐζει τε καὶ ἰσχναίνει, καὶ ὀδυνὴν λύει. Νάρκη γε δὲ μετρίη ὀδυνῆς λυτική. Hippocr. Aphor. Sect. V. XXV.

(2) Scudamore sagt: Alles was ich aus der praktischen Anwendung des kalten Wassers sagen kann, ist, dass die Hülfe desselben nie so gewiss ist, als die Gefahr. Parry sagt (in seinen Elementen der Pathologie): In zwei Fällen folgte auf das Eintauchen gichtkranker Füsse in kaltes Wasser, schnelle Linderung der Schmerzen und gleiche Abnahme der Entzündung, nach wenigen Stunden aber Lähmung der einen Hälfte des Körpers.

Si paroxysmum superavimus, tum curatione apta novum insultum, quantum fieri potest, impedire, retardare, aut bene regere, nostrum est. Apud grandaevos arthriticos praecipue diaetam et genus vitae, quibus antea usi sunt, respicere debemus, sed cavere, ne nimis celeriter cibi potusque usus consuetus mutetur. Largiri iis possumus nutrimenta, quae facile assimilantur, cerevisiam bene paratam, interdum etiam minorem vini gallici rubri quantitatem. In universum magis utatur aegrotus diaeta vegetabili, quam animali. Qua de causa etiam fragorum et uvarum, ut medicamentorum, usus, praecipue apud atrabilarios digestione bona praeditos homines, maximae est utilitatis. Non minorem habet fructum Elixir acidum Halleri a Lentino commendatum et Acida mineralia diluta mercuriusque sublimatus; sic etiam lactis usus et, quod maximi est momenti, corporis exercitatio et vita in aëre puro sanoque; simul vero omnia, quae mentem fatigare possint, studia, etiam coitus nimius, vitanda sunt. Multi summo jure itinera et habitationem in climatibus calidioribus commendant, nec non balneorum calidorum usum atque thermarum, e. g. Aquisgranensium, Carolinarum, Austriacarum, Teplicensium et aliarum, calidorum quoque balneorum marinorum et salinorum. Balnea frigida vero, lotiones et embrocationes propter facillime inde oriundas metastases vitanda sunt. Praeterea secretiones et excretiones leniter augendae sunt vestibus refrigerationem impedientibus, diaphoreticis, ut Spec. lignorum cum lacte sumtis, Decoct. Sarsaparillae, Gummi Guajac., Infus. Juniperi aliisque. Obstructiones et dyspepsiam tinctura illa a Graves commendata, quam supra commemoravi, facile resolvere possumus. Novissimis temporibus Decoct. Zittmanni maximo jure famam sibi peperit, quoniam

facillime secretiones et excretiones auget. Porro Camphora, Aconitum, Tinctura Colchici e seminib. parata remedia optima sunt laudata.

ARTHRITIDIS CHRONICAE MEDELA.

In universum medendi methodus eandem Arthritidis acutae aequat, et pauca tantum hic adnotanda sunt. In forma chronica prae omnibus id respiciendum est, ut articulationum inflammationem chronicam, aut hujus sequelas: exsudationem, indurationem et desorganisationes curemus. Indicatio ad febrem pertinens hic non adest, quia aut nulla febris chronicam Arthritidis formam comitatur, aut haec tam exigua est, ut nulla curatione opus sit. — Non raro intra paroxysmum diuturnum et magnos dolores adducentem affectiones ventriculi quoque graviores et totius corporis debilitas exoriuntur, quae antispasmodicorum et aromaticorum medicaminum cum amaris et tonicis conjunctorum usum postulant. Medicamina localia, quibus in Arthritide acuta caute uti debemus, hic liberalius et uberius adhibere possumus. Ante omnia etiam in hac Arthritidis forma caloris applicatio, involutio ex panno laneo, aut pelle cuniculi, balnea calida, aquae naturales minerales, balnea marina, salina et limosa, vaporaria quoque maxime commendari possunt. Quibus remediis adnumerandae sunt fumigationes aromaticae ex Olibano, Succino, Maxtiche paratae, infrictiones oleorum volatilium, fomentationes ex spirituosis leniter irritantibus, lotiones spirituosae, frictiones partium affectarum.

Si tophi inveniuntur, tum respiciendum est, utrum dolorifici sint, nec ne; qui si dolores aegrotis parant, cataplasmata antispasmodica et resolventia postulant, simulque diaphoretica. Tophi vero valde dolentes reme-

diis acrioribus curandi sunt, ut Linimentis irritantibus cum Camphora, Oleo Terebinthinae. Scudamore apud diuturnam intumescentiam oedematosam et magnam virium consumtionem frictiones cum pannis laneis, balnea calida lotionesque ex aqua tepida, in qua Natrum muriaticum est solutum, nec minus Tincturae Cantharidum, Linimentorum irritantium usum, commendat. Sinapismi, vesicantia, ulcera artificialia, moxae et ferrum candens a multis quidem laudantur, in rarissimis vero casibus utilitatem ferre solent. Tophos molles gelatinosam, fere fluidam substantiam continentes, Musgrave instrumento evacuat, quae operatio vero non prius, quam si tumor omni caret inflammatione, facienda est. Si autem tophis materia dura continetur, eorum curatio multo difficilior est. Van Swieten Oleum Terebinthinae cum Acido muriatico conjunctum forma Linimenti commendat. Sanctorius (1) dicit: »Ego aliquando vidi in quadam antiqua gonagra phlegma gypseum molle, liquidae calci simile, defluxisse ad cutem, qua perforata, ita liquidum egressum fuit: quo experimento excitatus, semel in quadam gonagra, ex gypsea pituita, utens stillicidio aquarum Canarum non ablutarum, in quibus malvaviscum, malvae et nasturtium ebullierunt, post longum aliquod intervallum aliquam portionem illius pituitae gypseae sub cute existentis liquidam et mollem feci, indeque illam, secta cute evacuavi.« Anchyloses arthriticae, tumor albus et aliae periostei ossiumque affectiones secundum Chirurgiae praecepta curandae sunt.

Dr. Thaer remedium Arcanum a Dr. Lukas compositum contra Arthritidem, ut medicamen praestantissimum, praecipue si morbus ille cum tophis et anchylosi articulorum conjunctus sit, laudat.

»Die elendesten Kranken dieser Art, inquit Thaer, die das ganze Jahr nicht mehr aus dem Bette kamen, deren Gelenke fast alle mehr oder weniger unbeweglich geworden waren, die fast beständig fieberten und der Lenta nahe zu sein schienen, die vergeblich die Bäder Töplitz, Warmbrunn, Aachen u. s. w. gebraucht hatten,

---

(1) Sanctorius Comm. in I. F. Cap. Avic.

(2) Caspers Wochenschrift Jahrgang 1833, Bd. I. pag. 20.

oder doch durch dieselben nur ganz temporär erleichtert waren, habe ich durch den angemessenen Gebrauch des Mittels fast gänzlich reconvalesciren sehen. Weniger leistet es da, wo die durch die Gicht entstandenen Ausschwitzungen und Zerstörungen schon gewissermassen versteinert sind, und sich gar nichts mehr von periodischen Exacerbationen und entzündlichen Anschwellungen zeigt, jedoch es bleibt auch hier selten ohne allen Erfolg, und bessert wenigstens den Ernährungs-Zustand solcher Kranken in der Regel.« —

Haec compositio, quae propter effectum optimum fere specificum nominari potest, haec est:

℞ Ol. empyreumatic. ex ligno fossil.
Antimon. sulphurat. nigr. aa ℥j
Olibani ʒji
Pulv. stib. dulcamar. ʒvj
M. f. pilul. gr. ji
consp. pulv. liquir.

D. S. Ter per diem sex ad decem pilulae sumantur.

In ulcerum arthriticorum curatione, morbum ipsum dyscraticum removere, simulque remedia externa adhibere, medici est. Nep. Rust (1) omnia medicamina liquida externa rejicit, quorum loco emplastrorum usum et quidem mercurialis puri, aut cum partibus aequalibus emplastri Cicutae, vel empl. de Minio et Opii, maxime laudat. Sic applicatione emplastrorum Baytoni optimos praestitisse dicit eventus. — Ulcera desorganisatione articulorum ipsorum exorta fere insanabilia habentur, sed forte fortuna eorum forma raro tantum invenitur. —

(1) Nep. Rust, Handbuch der Chirurgie Bd. XVI. pag. 667.

VITA.

Ego Carolus Mayer, Glivitiae, Silesiae superioris oppido, patre Jacobo Mayer, med. et chir. Dr., med. pract., matre Rosalia, e gente Haase, quos ut Deus optimus perdiu incolumes servet enixe precor, die nono mens. Aprilis a. MDCCCXV. natus et confessioni catholicae addictus sum. Inde a quinto aetatis anno scholam frequentavi urbanam Glivicensem, deinde in gymnasium urbis patriae, quod Directore Cel. Dr. Kabath floret, receptus per novem annos ad studia humaniora incubui. Testimonium maturitatis nactus, anno MDCCCXXXIV. Berolinum me contuli et academiae medico-chirurgicae annique sequentis mense Novembri instituti regii medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani civibus sum adscriptus. Per quadriennium hosce celeberrimos et illustrissimos viros de variis rei medicae doctrinis disserentes audivi:

Cel. Wolff sen. de hodegetice, logice et psychologia; Cel. Turte de physice experimentali et pharmacia; Ill. Link de botanice, historia naturali, encyclopaedia et methodologia medica; Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia, splanchnologia, Ill. Mueller de anatomia universa, de anatomia organorum sensuum, de physiologia; artem cadavera rite secandi Ill. Mueller et Ill. Schlemm me docuere; Ill. Hufeland de pathologia generali, semiotice et therapia tam generali quam speciali; Cel. Eck de physiologia; Ill. Horn de pathologia et therapia speciali, de morbis syphiliticis et psychicis; Ill. Hecker de pathologia et therapia speciali, de Celsi libris et de medicinae historia; Ill.

Osann de materia medica et de auxilio in repentinis vitae periculis ferendo; Cel. Casper de arte formulas medicas concinnandi et de medicina forensi; Cel. Kluge de arte fascias rite applicandi, de ossium fracturis et luxationibus, de chirurgia generali, de arte obstetricia et akiurgia; Ill. Wagner de medicina forensi practica; Ill. Juengken de akiurgia, de chirurgia speciali et de ophthalmiatrice; Ill. Rust de chirurgia speciali; Cel. Froriep de akiurgia et anatomia chirurgica.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, obstetriciis, ophthalmiatricis, interfui virorum Ill. et Cel. Wolff jun., Beat. Bartels, de Graefe, Truestedt, Dieffenbach, Juengken, Kluge.

Denique praelectiones ad medicinam veterinariam spectantes, frequentavi:

Cel. Gurlt de anatomia animalium domesticorum; Dr. Spinola de equorum forma externa et habitu, nec non de equi morborum curatione institutiones clinicas Cel. Hertwig me frequentasse, laete fateor.

Quibus viris honoratissimis maximas, quas possum, gratias habeo semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, et examine rigoroso superatis, dissertationem thesesque si publice defendero, summos in medicina et chirurgia honores a facultate medicorum gratiosa peto.

THESES.

1. Cholera non est morbus contagiosus.
2. Auscultatio certissima nobis praebet signa tam morborum pectoris, quam graviditatis.
3. Trepanatio prophylactica rejicienda est.
4. Non sunt remedia specifica.
5. Non certum habemus virginitatis signum.